JO. GEORGII ABICHTII S. Theol. L
Et S. L. Prof. Publ. Ord.

DISSERTATIUNCULA
DE
GENUINO
ACCENTUUM
OFFICIO.

LIPSIÆ, Excudebat CHRISTOPH. FRID. RUMPFF.
ANNO M. DCC. IX.

107.

Coll. diss. A
1, 10

a. I. ro.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366542834/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächs.
Landes-
Bibl.

שיל״ת

ACcentus optimos Sacri codicis esse interpretes, acutus ille & doctus Judæorum interpres Aben Esra optime cognovit, adeo ut omnem interpunctionem Accentibus contrariam rejecerit. Hinc in libro מאזני הלשון fol. 199. scripsit:

אהירך שתלך אחרי בעל הטעמים וכל פירוש שאיננו על דרך הטעמים לא תאבה לו ולא תשמע עליו כי בעל הטעמים ידע הפירוש יותר ממנו:

Ad moneo te, ut Auctorem accentuum sequaris; quæcunque enim interpretatio secundum Accentus non est instituta, eam non approbes, neque eidem insistas, quia Auctor accentuum sensum melius cognovit quam nos. Si quoque æqui Scripturæ interpretes optimas difficiliorum locorum versiones, fortasse sine accentuum subsidio factas, cum accentibus conferre voluerint, eas accentuum Auctorem intendisse experientur; ut itaque in aliis locis merito eundem sequamur. Quamvis vero LXX senes frequenter, & Targum Jonathanis rarius accentus neglexerint; eorum tamen vestigiis non insistendum esse existimo; eos enim frequenter aberrasse, & Codicem vocalibus & accentibus destitutum transtulisse longa locorum serie evictum est. Si quoque horum interpretationes cum aliis, accentuum auxilio erutis, componas, has contextui, locis parallelis, genio lingvæ, & Grammaticæ multo convenientiores esse cognosces. Sed si quæras quænam accentuum interpretatio sit legitima, quodve eorum præcipuum officium? tot sententiarum divortia reperies, quot fere auctores, qui accentus accuratius inspicere operæ pretium duxerunt, reperiuntur. Ante omnia itaque advertendum esse existimo, accentus non esse signa distinctiva, nostris distinctionibus, v. g. puncto,

colo, ſemicolo & commati, quibus noſtras orationes diſtingvimus, ubique reſpondentia. Silluk enim frequenter ponitur ubi nullum puncti ſignum requiritur, uti Gen. X. v. 13. 14. edocemur; in quorum verſuum interpretatione Sillukum commodiſſime omnium Grammaticorum judicio tantum commate expreſſeris, quod etiam in hoc libro Doctiſſimus Franckius p, 64. fuſius oſtendit. Sic Atnachus quandoque puncti, coli, vel commatis locum occupat, & de reliquis minoribus Sakepho, Rebhia &c. poſtulante id accentuum ordine, idem ſentiendum eſt. Nec primarium & perpetuum accentuum officium eſt diſtingvere & conjungere voces, quæ perſvaſio multorum animis inſidet. Hoc enim ſi eſſet, cur quæſo in una voce duo reperiuntur accentus, nonne priori carere poſſumus? quia in medio vocis neque diſtinctione neque conjunctione opus eſt. Tantum abeſt ut alterum Methegi locum occupare dicas, ratio enim reddenda eſt, cur Metheg ejectum, in ejusque locum accentus ſubſtitutus ſit. Et quid reſpondebunt, ſi adducantur voces duobus accentibus ſignatæ, in quibus Metheg nullum locum invenit? legimus enim וְאַבְרָהָם שָׁמַר־לְךָ, וְהִכְשִׁר וְהִכְהִן cum duplici Accentu, quorum prior Methegi vices ſubire non dicendus eſt, quia Methego in tertia ſyllaba, ſequente ſcheva quieſcente, vel Dagech forti, nullus locus conceditur. Vid. Binjan Schlomo fol. 105. b. Neque valet ratio, qua alii geminatos, in una voce accentus defendunt, vocem nempe gemino accentu ornatam haberi pro duabus; quomodo enim vox monoſyllabica, quales ſunt זֹאת, זֶה pro duabus haberi poſſit, plane non capio. Rejecto itaque hoc Accentuum officio, aliud erit adducendum, omnibus accentibus conveniens. Duplex autem argumentorum genus in genuina accentuum explicatione nobis ſupereſſe exiſtimo, quorum alterum ex antiquitate, alterum ex ipſa accentuum ſerie in Codice Sacro conſpicua, petendum eſt. Si antiquos Judæos conſulamus, quomodo olim leges ſuas docuerint, in *Codice Talmudico Megilla*. Cap. IV. fol. 32. col. a. reſpondent, quod eas jucunda quadam modulatione & verborum flexione elocuti ſint. Audiamus R. Schaphti l. c. loquentem: אמר ר׳ שפטי אמר ר׳ יוחנן הקורא בלא נעימה ושונה בלא זמרא עליו הכתוב אומר וגם אני נתתי להם חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם H. e. *dixit R. Schaphti, quod R. Jochanan docuerit: quicunque legit absque jucundo quodam modo, & docet absque cantu, in eum quadrant verba*: Ego dedi eis conſvetudines non bonas, & judicia non erunt in eis. Ezech. XX, 25. Ubi Raſche laborioſus ille Talmudis interpres ſubjecit: נעימה כגון טעמי המקראות h. e. *talis jucundus legendi modus intelligitur, qualem in Scriptura S. accentus indicant.* Quod itaque ſcriptura antiquitus בנעימה & בזמרה *jucundo quodam tono & quaſi cantu* lecta ſit, ex hoc loco ad oculum patet, quodque vocum illa jucunda flexio ſignis accentuum, prout in Scriptura extant, indicetur, Raſchius antiquitatum Ju-

daicarum

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id366542834/4 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

daicarum peritiſſimus explicavit. Eandem ſententiam calculo ſuo *Maſoræ Magnæ* Auctor ad Cap. V. Gen. v. 29. jamdudum approbavit. Ipſa verba addam, quo Lector B. eo felicius de hoc teſtimonio judicium ferre poſſit. זה, ה' מלין בתרי טעמים בתלשה גדולה וגריש וסי' זה' קרבו' שובו' ולאלה' זאת' והקורא יטעים הגריש קוד' התלש' אף על פי שהתלשא גדולה עומדת בראש התיבה קדמה רגרישין בתרא דתלשא וסי' כי תכלה לעשר: H. e. זה hoc: *Sunt quinque voces duobus accentibus ſignatæ, cum Thliſcha gedola* —°— *& geresh* —'—. *Hæc loca ſunt Gen. V. 29.* זֶה *Levit. X. 4.* קָרְבוּ. *2. Reg. XVII. 13.* שֻׁבוּ *Ezech. XLVIII. 10.* וּלְאֵלֶּה. *Zephan. II, 15.* זֹאת. *Et lector cantare debet Gereſchum* —'— *ante Tliſcha Gedola* —°—; *quamvis Thliſcha Gedola* —°— *ſtet in principio.* Antecedunt enim Gereſchain —"—, *& ſequitur* Thliſcha *Deut. XXVI. 12.* כִּי תְכַלֶּה לַעְשֵׂר Ut Maſoretarum intentionem evidenter intelligamus, obſervandum eſt, eum in conſecutione & poſitu Accentuum teneri ordinem, ut Tliſcha Gedola —°— ſemper primæ vocis literæ; Gereſchain —"— vero ſyllabæ tono affectæ imponatur. Cum itaque in voce זה uterque accentus concurrat, neceſſe eſt, ut litera ז —°— ה vero —"— accipiat. Quoniam vero in conſecutione Acccentuum, quando duæ voces his accentibus notandæ ſunt, Tliſcha Gedola plerunque ſequitur, —"— vero præcedit quod ex allegato Deut. loco apparet; neceſſe erat, ut Maſoretæ monerent primo loco Gereſchain, & deinde Tliſcha in lectione exprimendam eſſe. Quomodo vero duplex in voce Monoſyllabica Accentus exprimendus eſt? nullo certe alio modo, quam vocis flexione vel modulatione.

Alterum argumentorum genus, quo accentuum uſus probatur, ab ipſa accentuum conſecutione & ordine deſumitur. Omnes accentuum interpretes & codicis hebræi lectores obſervarunt, quod plerique verſus in duo membra dividantur, quorum prius Atnacho —ʌ—, alterum Silluko —ı— ſignatur. Illam vero vocem, quam Atnachus —ʌ— occupat, maxima in verſu pauſa pronuntiandam eſſe, R. Calonimns in fine libri, quam Grammaticæ R. Balmeſii adjecit, docuit: והוא מושם במקרא, במקום הפסק הענינים הפסק יותר על יתר הפסקים שבפסוק: h. e. *Athnachus ponitur in Scriptura, in loco ubi ſenſus pauſam requirit, hæc vero pauſa eſt major omnibus pauſis, quæ in verſiculo ſunt.* Sillukum tandem integrum verſum claudere idem Calonimus dixit, hunc accentum הפסק וסלוק לגרמי *pauſam perfecte verſum claudentem* appellans. Ex quo apparet Ebræorum legendi modum quam proxime ad eum accedere, quem in Eccleſiis noſtris in Cantico Mariæ aliisque obſervamus; In quovis enim verſu interſtitium quoddam eſt, & in fine clauſula finalis, uti ap. Hebræos Atnach —ʌ— & Silluk —ı—. V. g. poſt verba: Meine Seele erhebet den HErrn, ponitur interſtitium & pauſa quædam media, poſt reliqua vero: und mein Geiſt freuet ſich GOttes meines Heilandes pauſa finalis

ver-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366542834/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

versiculum absolvens. Quodvis horum duorum membrorum pluribus vel paucioribus vocibus constans in diversa minora membra dissecatur, eorumque voces singulæ pro diversitate congruæ pronuntiationis vel servis accentibus conjunguntur, vel distinctivis à se invicem separantur. Hunc in finem XIX distinctivos & VII conjunctivos accentunm characteres in Codice nostro invenimus, quorum unus vel duo singulis vocibus appicti sunt, evidenti indicio, judæis olim certum & consvetum fuisse legendi modum, ipsis נעימה *amoenitas*, & זמרה *cantus* appellatum, & accentibus illis indicatum. Hoc bene perpenso omnis difficultas, quæ hactenus Accentuum interpretes pressit, facile tollitur & de omni accentuum positu ratio redditur. Ex hoc perspicuum est, cur uni voci quandoque duo accentus subjiciantur; orationis enim membrum unica voce constans alias nimium caderet, & jucunditatem suam perderet versiculi elocutio. Exemplo sit vers. 4. cap. XXI. Levit.

לֹא יִטַּמָּא בַּעַל בְּעַמָּיו לְהֵחַלּוֹ׃

Non contaminetur princeps in populo suo, ne profanet se.

Ultimum versus membrum unica voce absolvitur, sique post Atnachi pausam ad Sillukum statim lector pergeret, elocutionis amoenitas periret; interponitur itaque Tiphcha ֖ in voce longiori, ut viam ad Sillukum sternat, quo officio alias fungitur. Quando vero ultimum Silluki, vel etiam Atnachi membrum duas voces complectitur, Tiphcha non ultimam, sed penultimam vocem sibi vendicat, sive voces grammatice cohæreant sive distingvantur. V. g. Jer. VI. 14. וְאֵין שָׁלוֹם *& non erat pax*. Sic Num. XXI. 11. וַיִּסְעוּ מֵאֹבֹת *& profecti sunt ex Oboth*, & Jes. XXVI. 2. פִּתְחוּ שְׁעָרִים *aperite portas*. Ex eodem fonte præsentia & absentia Atnachi derivatur. Multæ hic traduntur regulæ, quæ tamen neque sedulis Scripturæ lectoribns, nec accentuum scrutatoribus satisfaciunt, quod ex commentariis & accentuum Institutionibus nemini non constat. Si vero dicamus Atnachum abesse a versu celerius pronuntiando, & adesse in tardius eloquendo, proxima causa omnibus versiculis conveniens indicatur. Si porro celerioris & tardioris pronuntiationis rationem quæras, eam vel vocum paucitas, & brevitas, vel affectuum latentium diversitas, vel pronuntiationis, vel denique sacri punctatoris libertas suggerit. Porro ex hoc genuino accentuum scopo facile intelligimus causam, ob quam accentus majores loco minorum, & minores loco majorum veniunt, quæ non est alia, quam tardior & celerior membrorum versiculi pronuntiatio. Exemplis rem clariorem reddam. Gen. XXIV. 56. legimus: שַׁלְּחוּנִי וְאֵלְכָה לַיהוָה׃ *Mittite me, ut eam ad Dominum.* Hæc verba sequentes quoque admitterent accentus: שַׁלְּחֻנִי וְאֵלְכָה לַיהוָה׃ Ultimæ enim voces cohærent; sed tardior pronuntiatio majores substituit. E contrario Deut. I. v. 23. וָאֶקַּח מִכֶּם שְׁנֵים עָשָׂר אֲנָשִׁים *Et capiebam ex vobis duodecim viros*, tria ultima verba conjunguntur, quæ alias

hos

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id366542834/6 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

hos quoque paterentur accentus: וָאֶקַּח מִכֶּם שְׁנֵים עָשָׂר אֲנָשִׁים Sed loco paschtæ distinctivi minoris, ponitur servus præcedente alio Munacho, & in locum majoris Rbhia succedit minor paschta, cujus mutationis nulla alia dari potest ratio, quam quod vox secunda & tertia a lectore celeriter pronuntiata sit. Hoc luculentius patebit, si alia quædam loca subjiciamus. Num. IX. 1. quatuor voces tribus Munachis conjunctas legimus:

וַיְדַבֵּר יְהוָה אֶל־מֹשֶׁה בְמִדְבַּר־סִינַי׃

Et loquebatur Dominus ad Mosen in deserto Sinai.

Si accentus primario indicarent, quæ voces grammatice connectendæ vel distingvendæ essenr, loco servi Munachi aliquoties distinctivi ponendi fuissent; sed quoniam illi pronuntiationem primario moderantur, eas voces conjunctim & celeriter pronuntiandas esse ostendunt. Eodem modo Jer. XXXV, 15. septem voces ob eandem rationem sex servis connectuntur. Ne dicas nullos superfuisse accentus, quibus voces istæ signarentur; accentus enim aliquoties alias repeti, nemini est ignotum. Qui hæc mecum accuratius pensitaverit, facile perspiciet, quod accentibus abutantur, qui non ex vocibus, sed ex accentuum positu mysteria eruunt. Sic quidam Jes. IX, 5. Christi naturam divinam & humanam ex accentuum ordine cognovisse sibi persvaserunt, quod duo adsint membra paria, quorum prius Rbhia, alterum Sakeph parvo, uti hic conspicis, distinctum est.

כִּי־יֶלֶד יֻלַּד־לָנוּ בֵּן נִתַּן־לָנוּ׃

Nam puer natus est nobis, filius datus est nobis.

In vocibus mysterium latere non negatur, sed accentibus illud indigitari mihi non est perspicuum. Si enim accentus h. l. duas naturas exprimunt, necesse est, ut in aliis verbis iisdem accentibus stipatis idem faciant. V. g. Jes. LXIV. v. 1.

כִּקְדֹחַ אֵשׁ הֲמָסִים מַיִם תִּבְעֶה־אֵשׁ׃

Prout ardet ignis liquefactionum; sic aquas ebullire faciet ignis.

Ubi idem accentuum positus observatur. Sic voce בֵּן *filius* accentu signata excellentiorem naturam divinam indicari, quidam existimant, quoniam vox ea etiam servo Munacho sequenti voci annecti potuisset. Quod si esset verum, necessario sequeretur ut 1. Chron. I, 44. פֶּלַע בֶּן־בְּעוֹר *Pela filius Beor*, naturam quoque divinam possideret, quia פֶּלַע eundem Jethib habet comitem. In eodem Jesaiæ loco alius accentuum abusus occurrit, quando illorum virtute nomina Christo imposita, eidem denegantur, & Deo nominanti tribuuntur. Ut hoc evidentius percipiatur ipsum accentuum ordinem apponam:

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id366542834/7 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי־עד שר שלום:

Quæ hoc ſenſu a quibusdam verſa ſunt: *Et nominabit eum, mirabilis, conſiliarius, Deus fortis; patrem æternitatis, principem pacis:* Quia —⁝— in vocem גבור *fortis* incidit, reliquique omnes —‚— —̥— —́— reſpectu —⁝— minores ſunt, exiſtimant omnes illas voces judicio logico eſſe in unum membrum colligendas, & non pro nominibus Filii denominandi, ſed Dei appellantis habendas. Quam Interpretationem Judæi & Sociniani ambabus ampleсtuntur. Sed meminiſſe debuiſſent illi accentuum doctores, Jeſaiæ verba in formulam procemialem & effatum eſſe diviſa, & accentuum Auctorem eam tenere conſvetudinem, ut, quoties procemialis formula nullum plenum ſenſum ſiſtat, ille etiam in ea non ſubſiſtat; ſed maximam diſtinctionem in partem ſequentis effati projiciat, quod ex Jeſ. XLIX, 4. pateſcit.

ואני אמרתי לריק יגעתי לתהו והבל כחי כליתי:

Et ego dixi; in vanum laboravi, ad inanitatem & vanitatem vires meas conſumſi. Ubi maximus accentus non in אמרתי *dixi*, quod Logica requirit; ſed in partem effati יגעתי *laboravi*, incidit. Si mihi objiciatur accentum —̥— in פלא Mirabilis, alium ſenſum requirere; reſpondebo hunc —̥— eſſe minorem quam —’— frequenterque eum ſequi, ſi ſervus intercedat, uti Jeſ. XXIX, 4. obſervamus.

והיה כאוב מארץ קולך:. *Et erit ſicut loquentis ex terra vox tua.* Evolve ſi placet Num. IV, 7. ubi eadem accentuum conſecutio reperitur. Quoniam vero in noſtro Jeſaiæ loco nulla vox ſervo afficienda proſtat, ut excidat ſervus neceſſe eſt, eodem modo prout in aliis accentibus idem fieri deprehendimus. Si denique defectus ſubjecti appellantis urgeatur, qui neceſſario adeſt, ſi omnia illa nomina Chriſto tribuantur; in promptu eſt reſponſio: Omnibus enim, qui vel primis labris fontem Iſraelis guſtarunt, notum eſt, quod frequentiſſime ſubjectum appellans ſubintelligatur. Vid Glaſſ. L. III. Tract. III. p. m. 816. ſeqq. Poſſent hæc omnia prolixius deduci, niſi id ſcopi noſtri ratio prohiberet, ſed exiſtimo æquos rerum æſtimatores accentuum officium ex his paucis eſſe perſpecturos, nec illis omnem in ſcripturæ interpretatione uſum cum Clariſſimis viris Clerico, Vitringa aliisque denegaturos. Uti Rhetorum commata, cola & puncta in pronuntiatione adhibita diverſa ſunt ab illis, quibus periodus Grammatica diſtingvitur; Sic Hebræorum Accentus quoque a Grammaticorum diſtinctionibus diſtingvuntur. Id enim accentuum Auctor mihi egiſſe videtur, ut jucunda quadam modulatione, Judæis æque ac Chriſtianis hodie ignota ſenſum ſcripturæ proponeret. Ut vero diſcrimen inter hodiernam periodi interpunctionem, & illam Judæorum verſus accentuationem, evidenter pateat, locum ſubjiciam cujus Hebræa verba Sillukis,

Latina

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366542834/8
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Latina vero ſignis diſtinctivis diſtincta ſunt Deut. V. v. 4. & 5. פנים בפנים דבר יהוה עמכם בהר מתוך האש: אנכי עמד בין־יהוה וביניכם בעת ההוא להגיד לכם את־דבר יהוה כי יראתם לפני האש ולא־עליתם בהר לאמר: אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים: *Facie ad faciem locutus eſt Dominus vobiscum, in monte ex igne, (Ego ſtabam inter Dominum & inter vos illo tempore, ut indicarem vobis verbum Domini, timuiſtis enim ignem, & non adſcendiſtis in montem) his verbis: Ego ſum Dominus Deus Tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti, ex domo Servorum.* Hæc omnia uno puncto abſolvuntur, colo, quibusdam commatibus & Parentheſi diſtincta. Sed accentuum Auctor illa in tres verſiculos diviſit, quorum primus in האש *igne*, ſecundus in לאמר *his verbis*: tertius in עברים *ſervorum* deſinit. Nullum in hebræo textu Parentheſeos ſignum conſtitutum eſt, ſed hoc ex ſenſu eſt locandum, uti Gen. XIII. 10. Patet itaque, qua veritate vulgo dicatur, vocem parentheſi clauſam nullum majorem accentum antecedere, hoc enim loco ֑ & ֔ præcedere nulli lectorum obſcurum eſt. Hunc ſenſum obſervavit acutus ille Judæorum Interpres Aben Eſra, Sequentia in Commentario ſuo huic loco adjiciens. ומלת לאמר דבקה עם דבר יי׳ עמכם בהר מתוך האש לאמר ויתכן להיות פירוש אנכי עומד בין יי׳ אחר מעמד הר סני והטעם שהוא דבר עמכם פנים בפנים ומאותו היום הייתי אני עומד בין יי׳ וביניכם כי יראתם כאשר יפרש: ולא עליתם, בהר כאשר עליתי אני ומשה נגש אל הערפל ואל תשים אל לבך בעבור היות מלת לאמר רחוקה כי כן רבים והמדבר לא הפסיק הפסוקים ולא הפרשיות גם אל תשית לב אל המלות כי הם כגופות והטעמים כרוחות והכורת בשני כלים זה כמו זה במעשה מעשה אחר הוא: Quæ hoc ſenſu interpretor: *Et vox* לאמר *his verbis, cohæret cum illis*, locutus eſt Dominus vobiscum in monte ex igne dicendo: *Et videtur mihi, quod verba:* ego ſtans inter Dominum, *ita explicanda ſint, ego ſtabam poſt montem Sinai. Et ſenſus verborum:* locutus eſt vobiscum à facie ad faciem, *talis eſt: illo die ego ſteti inter Dominum & inter vos, quia timuiſtis, ut in ſequentibus legitur.* Non adſcendiſtis *ſcil. in montem, quorſum ego adſcendi*, Moſes enim appropinquavit ad caliginem Exod. XX. 21. *Nec cures, quod vox* לאמר *longe diſtet à reliquis verbis; Multa enim ſimilia in ſcriptura reperiuntur. Loquens enim non diſtinxit verſus, neque ſectiones legis. Neque multum cures verba; verba enim ſunt corpus, ſenſus vero eſt Spiritus, & qui ſecat alterutro cultrorum æqualium, vere ſectionem peragit.* h. e. Sive quis verbis, ſive ſenſu aliquid doceat, perinde eſt, & vere docet. Ex quibus perſpicue cognoſcimus, quod Aben Eſra eandem nobiscum teneat ſententiam. Si plura ejusmodi exempla deſideras, evolve Cap. X, v. 15. 16. 17. 18. Gen. & videbis, quod ibi una periodus per quatuor verſus continuetur. Quamvis vero accentus Latinorum diſtinctionibus non reſpondeant, egregium tamen uſum diſtinctionibus ſuis comprobant. Dum enim accentus membratim dicere docent, ſingulasque voces vel elevandas vel ſupprimendas,

vel

vel cum aliis conjunctim pronuntiandas indicant, sensum quoque versiculi in partes divisum auditorum animis ingerunt. Inde est, quod Interpretes illa accentuum incisa negligentes frequenter impingant. Et quod me maxima admiratione defigit, est, quod multi creberrime Raschium, Aben Esram, Kimchium, & Abarbanelem in difficilioribus locis consulant, sed accentuum Auctorem, quem hi tamen omnes sequuntur, repudient. Posito, sed non concesso, hodiernorum accentuum figuras tam antiquas non esse, quam quidam perhibent; eas tamen antiquissimum pronuntiandi modum, ab Esræ temporibus conservatum referre, haud levibus argumentis adstrui potest. Nullus dubito Cl. Viros Clericum & Vitringam multo felicius genuinum Scripturæ sensum fuisse assecutos, si accentuum auctor ipsis alicujus auctoritatis fuisset. Sed quoniam hunc plane postposuerunt, mirum non est, quod inter alia locum Deut. XXXIII. v. 28. minus recte expresserint. Legitur ibi: וישכן ישראל בטח ברד עין יעקב אל־ארץ דגן ותירוש: Quæ Cler. hoc sensu transtulit: *Habitabit Israël secure & solus; fontes Jacobo erunt in terra frumenti & vini ferace.* Vitringa vero *Obsevat. Sacr. L. I. C. V. p. m. 220.* vertit: *Et habitet Israel secure seorsim, fons Jacobi in terra frumenti & musti,* per fontem Jacobi, *posteros Jacobi* intelligens. Hæc vero alio sensu a Mose esse dicta patebit, si antecedentes versiculos adspicias. Laudaverat Moses Deum, quod non sit alius, quam Deus Israëlis, à quo protegatur v. 26. Dixerat v. 27. quod Deus æternus sit, & brachiis suis mundum sustineat, hostesque Israelitarum expulerit. Quod vero v. 28. eum in finem factum esse pergit, *ut inhabitaret Israël secure, & seorsim fontem Jacobi, in terra frumenti & vini ferace.* i. e. ut inhabitarent Israelitæ, omnes aquas, quas quondam Jacob inhabitaverat, in terra frumenti & musti &c. Judæi enim hunc locum legentes, non substiterunt in voce ברד *solitarius, seorsim,* sed in יעקב *fontem Jacobi,* ideoque voci ברד accentum —, paschta minorem; יעקב *Jacob* vero accentum majorem —: Sakeph parvum imposuerunt. Quod שכן inhabitare significet cum Accusativo constructum, patet ex Jes. XXXIII. 15. הוא מרימים ישכן: *ille excelsa inhabitabit.* Quod וישכן per, *ut inhabitaret,* vertendum sit, nulla probatione eget, omnis scripturæ pagina exempla suppeditat. Maxime itaque miror, quod uterque nostrorum Interpretum ו conversivum neglexerit. Nulla necessitas ursisset Cl. Clericum, ut voci יעקב proponeret ל, si accentus consuluisset, hi certe aliam interpretandi viam monstrassent. Sic quoque Cl. Vitringa dura illa & inusitata metaphora, qua Israelitæ fons Jacobi appellantur, carere potuisset, si accentuum positum observasset. Plura ad manus sunt ejusmodi loca ab optimis alias interpretibus minus recte translata, quæ apponerem, nisi scopi mei ratio calamum excuteret. Merito itaque laudanda est opera, quam Cl. Frankius, sedulus accentuum Scrutator locavit, quæque ab aliis minus recte tradita erant,

exa-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366542834/10
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

examinavit, & facilitati ſuæ reſtituit. Multos equidem in hac arte noſter habuit optime meritos Anteceſſores, Bohlium, Schnegaſſium, Waſmuthium, Weimarum, Reinbekium, Ledebuhrium in Germania, & Croſſium in Anglia, qui omnes multo ſtudio accentuum diſtinctiones & conjunctiones inquiſiverunt, & facem aliquam prætulerunt, à quibus tamen omnibus Noſter haud raro diſcedit, & imprimis propugnat, quod verſiculus unus variis accentibus adornari poſſit, inter quos tamen unus ſemper proſtaret modus, qui Spiritui Sancto placuerit. Uti vero alios deſeruit, ſic aliis idem jus a ſe deſſentiendi relinquit, ſi firmioribus rationibus contrariam ſententiam probaverint.

Coll. diss. A.1, misc. 10

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id366542834/12
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft